

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * 4 *

- I. Quindies Theologicum Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti con-
secratum à M. Zacharia Wemmergero.
- II. Causarum coniectio, quibus moti Status Regni Bohemæ ad Novi
Regis Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electori Palatino data.
- IV. Evangeliciorum ad Christianum Danicæ Regem Fran. Angelicæ.
- V. Soteria Academia Witebergensis Johanni Georgio Electori Sax. soluta.
- VI. Idea Principis Boni seu Oratio de vita et Obitu Johannis Georgii Principis
Anhaltini M. Mæci Frederici Wendelini.
- VII. Panegyricus Parentalis Rudolpho Principi Anhaltino de Tur. & Eodem.
- VIII. De vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyraci Herdssami.
- IX. Narratio Uberior de Johannis Georgii Principis Anhaltini vita et Obitu.
- X. Halitudoia Tremida Francofurtana D. Cyraci Herdssami.
- XI. Carpus Normani Ezegetes Christianus de vita et Morte Georgii
a Schonaich.
- XII. De Industria et Studio Laboris M. Samuelis Dreyemii.
- XIII. De Aëris Salubritate et Studiorum Commotitate in valle Joachim-
ica Eodem.
- XIV. De Erustione, Utrum Literarum Cultoribus sit peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cottonie M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De vita et Morte Joachimi Straburgi Wilhelmi Straburgi.
- XVII. Iusta Funeraria Johannis Ezechardi in choro sumere sublatis.
- XVIII. Programmum Publicum Academiae Francofurtensis.
- XIX. Imitatio Publica ad Doctoratum D. Cyraci Herdssami.
- XX. De Ratione Status et Prudentia Regnatia Martini Milagii.
- XXI. De Spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianii de Schließen
- XXIII. Exequis Solemnes Johanni Christophori Herdssami.

XXIV 24
ORATIO
HISTORICO-DI
DASCALICA

DE
EXPEDITIONE XERXIS

IN GRÆCOS,

In

Illustri Soraborum Gymnasio

Permissu Gymnasiarchæ

publicè recitata

ab

HENRICO PIETIPESKY

de Chiss & Egkerberk, Equi-

te Bohemo,

d. 4. Junii,

ANNO

pseVDoDoXIs LoloLItIsODIoso, pIIs prosperlorI.

L. Apul: 1. Florid:

Nihil quicquam omnium est, quod possit in primordio
sui perfici, sed in omnibus fermè antè est spei
rudimentum, quam rei experimentum.

SERVESTÆ

Impressa per Zachariam Dörfferum.

M. DC. XXIV.



Magnificentissimi & generosissimi

Baronibus ac Dominis,

DN. VILHELMO CHINSKY de TETTOVA, Te-
plici, Camerarii &c. Domino, &c. Majestatis,
Bohemiae Regis, Venerabilium Magistrorum, Domino
Agnato suo summe colendo:

DN. JOHANNI FRIDERICO CHINSKY de TETTO-
VA, Domino Avunculo suo Magno, ac re-
suo:

*Nec non gratissimo & doctissimo, et omni laude & honore dignis-
simo Gynasii Silesiani Gynasarchae,*

DN. MARCO FRIDERICO VINDLINO, hospiti
suo longe humanissimo.

2. P.

Ogitanti mihi, & serio mecum deli-
beranti, cuiusmodi juvenem hunc, & primum meum
laborem, quem velut primitias libo & infero in istius
Mularum, dicarum, dedicarum, Vos primi animo
meo occurratis, Barones Generosissimi, Tadeskae
for Magnificae, sub quorum nomine primogenitus hic ingenit
mei feceris lucem aspiceret, inquam obsecratu copulac
ret, quaeque quaereret. Neque id vel immerito vestro vel
iustae ratione. Nam, ut quod primum in delibetationem meam
venit, breviter attingam, vos vos semper laudem hanc obtinui-
tis, quod & amaretis honestas artes, & liberaliter proverberetis
illarum





Magnificentissimis & generosissimis
Baronibus ac Dominis,


DN. VVILHELMO CHINSKY de TETTOVVA, Te-
plicii, Camenicii &c. Domino, S. Cæs. Majestatis,
Bohemiæ Regis, Venatorum Magistro, Domino
Agnato suo summè colendo:

DN. JOHANNI FRIDERICO CHINSKY de TETTO-
VV A, Domino Avunculo suo Magno, verè ma-
gno:

*Nec non gravissimo, & doctissimo, atq; omni laude & honore dignis-
simo Gymnasis Serbestani Gymnasarcha,*

DN. MARCO FRIDERICO VV ENDELINO, hospiti
suo longè humanissimo.

S. P.

 Ogitant mihi, & seriò mecum deli-
beranti, cuinam juvenilem hunc, & primum meum
laborè, quem velut primitias libo & infero in aram
Musarum, dicarem, dedicarem, Vos primi animo
meo occurristis, Barones Generosissimi, Tuque Re-
ctor Magnifice, sub quorum nomine primogenitus hic ingenii
mei foetus lucem aspiceret, inq; quorum obstetricatu cõquiesce-
ret, quasiq; puerasceret. Neq; id vel immerito vestro, vel sine
justâ ratione. Nam, ut quod primum in deliberationem meam
venit, breviter attingam, vos, vos semper laudem hanc obtinui-
stis, quòd & amaretis honestas artes, & liberaliter proveheretis
illarum

▲ ▲

illarum studia. Bis digni ergo, meo quidem iudicio, qui non hunc duntaxat meum scetum, informem illum & ursum, multoq; adeo linctu petficiendum, accipiatis, sed alia etiam opera in hoc genere retractiora. Verum accedit alia quoq; causa propositi mei, quae me ad hanc dedicationem, alias ad eam sponte propensum, suo pondere impulit. Cum enim viderem, mihi Vobiscum, Barones Generosissimi, sanctissima sanguinis, omniumq; amicitiae necessitudinum, Tecum autem, Rector Magnifice, inviolabilia hospirii jura esse communia, nullo modo admittendum esse duxi, ut Vos orationis hujus dedicatione excluderem, atque ita debitum erga Vos officium pratermitterem. Accipietis igitur hunc primum partum meum jure a me, eumq; spe posterius partendorum, (Juno Lucina modo ferat opem, & servet me:) molliter nutrietis. Quod si facitis, (facietis autem,) non solum me ad plures ejusmodi partus edendos illo invitabitis, sed & ad eos vestro potissimum nomini dicandos longè paratissimum reddetis. Valete, & studia mea alite, quod facitis. Datum Servestæ Cal. Jun. anno ultimæ patientiæ divinæ cl. lcc. xxiv.

*Henricus Pietipesky de Chuss
& Egkerberk*



Quod



Quod vos non fugit, auditores ornatis

uni. agitur jam sextus & ultimus millenarius mundi, seu ut
 propius articulum temporū attingam, qui nos cōprehendit,
 agitur jā annus ab orbe hoc coedito millesimus quintus quin-
 gentesimus & octuagesimus septimus. (Tot enim anfractu reditusq; solis
 ejus conversione annum metimur, et ad hujus universi convertit.) Multa
 hoc tam longo tractu annorum haud dubie gesta fidem factorum exceden-
 tia multa, admirationem ipsa rerum novitate, blandā conciliantia, con-
 citante, vix vero similia, multa perpetua commendatione fame, jugiq; se-
 culorum memoria digna: verum haud scio, an quicquam post homines na-
 tos, extra paucā divinae omnipotentiae experimenta, prodigiosa illa, & in
 omni memoria inaudita Xerxis expeditione, quam in Graecos armatis de-
 cies centenis millibus hominum suscepit, vel incredibilem, vel admirabilem,
 vel memorabilem, aut fando compertum, aut legendō cognitum sit. Ut enim
 ab ista rerum omni aevi gestarum infinitate discedatur, & ad propiora ad-
 junctioraq; rei, quā de differere fert animus, hoc est, ad celebratissimas
 quasq; apparatusq; firmissimorum populorum expeditiones veniatur,
 illāne etiam tandem in omni memoria reperietur, quae cum Xerxis, vel
 magnificentia castrorum, vel multitudine apparatus, vel abundantia
 copiarum, equā contentione conferri compararive queat? Circūferā-
 mus oculos, si libet, & penitus in omnes omnium aetatum atq; gentium
 historias introspeciamus, profecto comperiemus, summas illas, & primae
 quasi classis expeditiones quas miramur, quibus jucunde afficimur, quae nos
 stupore desigunt, aut trecentis fere millibus armatorum: cujusmodi fuit
 illa Darii ultimi adversus Alexandrum, cognomento Magnum, itemq; alia
 quaedam Saracenorum in Gallos: aut quadringentis quo in genere fuit ista
 Mahometis Secundi, cum ante annos plus minus centum & septuaginta
 Constantinopolin lectissimū valentissimorum hominum copiis terrā mariq;
 circumfederet, tandemq; post quatuor & quinquaginta dierum obsidionem
 deitionem facere cogeret: aut quingentis: quale agmen fatum illud orbis
 Christiani, bustum urbium, vastitas provinciarum, terror gentium, vel,

Q. Curt. lib. 3.
 Chron: Phil.
 lib. 3. Ind. l. 5.

Ind. lib. 3.



lib. 2.
Paul. Jobius.

Herodotus
lib. 5. 6. Justinus
lib. 2.

quod ipse malebat, Flagellum Dei Attila, anno Christi quadringentesimo
quingagesimo tertio, ex vastis solitudinibus Asiae, ex perditis, & ab om-
ni, non modo fortuna, sed etiam spe derelictis hominibus conflatum, per si-
num Pannoniae, Germaniae, & Italiae, magnam disperditione urbium, & non
parvam earum provinciarum calamitate, duxit: aut septingentis: qua manu
Darium Histaspis Scythiam ingressum tum, cum Jancyri, regis Scytharum filiae
nuptias non obtinisset, Justinus prodidit: constitisse, ad decies vero centena
millia praeter Xerxem, itemque Ferrum illud Fortunatum, Tamerlanem Tar-
tarum, (quo de memoriae proditum est, ipsum ante ducentos fere & viginti
sex annos, potente rerum in Oriente illo Caeli Fulgure Bajazete, cum cen-
tum myriadibus equitum & peditum, torrentis instar in Scythiam effusum,
Asiam a Tanai ad Aegyptum usque, & Parthos pervasisset, & Bajazetem
captum, aureis catenis vinctum, inque caveam ferream concellatam inclusum, per
Asiam secum circumductum esse, in equum conscensuro dorso subdito scabelli-
sum praebentem.) progressum esse neminem. Ac de Tamerlane quidem,
qua in parte & ipse expeditioni Xerxis non nihil concesserit, dicitur, neque
ita multo post: nos nunc jam ad eam accingemur. De qua quoniam nobis
non tam nostrae voluntate, quam aliorum arbitrio, quibus parere debuimus,
differendum est, antequam de ipsa dicere ingredimur, petimus a vobis, pri-
mum id, quod equissimum est, ut, si minus commode omnia dixerimus, de-
tis hoc & concedatis aitati nostrae: Deinde, si quam forte sinistram opinio-
nem de nobis vestris mentibus comprehendistis, ut eam animis vestris, aut
libentibus, aut equis, dimittat, & nos officii potius, quam pravo aliquo
venditande eloquentiae studio, hanc suscepisse operam & munus putetis:
Tum autem, ut quoniam nihil in medium prolaturi sumus, quod non di-
gnum silentio, dignum vestris studiis atque auribus videatur, id ipsum, quod
prolaturi sumus, attentè benigneque audiat, & penitus animis vestris men-
tibusque mandet: Id quo facilius facere poterit, dabimus operam, ut a prin-
cipio hoc bellum Xerxis quemadmodum concitatum & conflatum sit, cog-
noscat. Itaque sic tenetote, scenam hujus totius longe luctuosissimi formi-
dolosissimique belli, quod Xerxes non solum cum exercitu suo, sed etiam cum
omni immanitate Barbariae Graeciae intulit, hanc fere fuisse: Tulerat forte,
ita uti sit, casus infestus, ut Iones a Dario, patre Xerxis, deficerent, idemque
ut Athenienses auxilium ipsis contra Darium ferrent. Ac Iones quidem
initio defectionis impigre omnia tentare, verum nihil ex voto succedere.

Jamque

Jamq; eos Darius navali pralio vicerat. Omnem igitur belli impetum in
 Athenienses convertit. Percommode autem accidit, ut eadem tempestate
 casu filius Pisistrati Hippias, propter crudelitatem, quam in civibus expo-
 nebatur, Athenis pulsus, in exilium ageretur. Is profectus in Persas, resti-
 tutionem sui apud Darium urget, ducemq; se inferenti Atheniensibus bel-
 lum, adversus patriam suam offert. Igitur Athenienses audito Hippiæ ad-
 ventu, copiarumq; quas ei Darius tradiderat, numero percepto ilicet au-
 xilium a Lacedæmonis, sociâ tû civitate petunt. Verum ubi eos vident qua-
 tridui teneri religione, non expectato auxilio, instructis decem millibus civium,
 & Platæensibus auxiliaribus mille, adversus exercitum cetum millium peditum,
 & decem millium equitum, in campum Marathonium in prælium egrediuntur. Victi
 in eo Perse in naves confugiunt. Cadit & Hippias, autor & concitor hu-
 jus belli. Interea loci bellum Darius instaurat, & majori apparatu Athe-
 niensibus inferre parat. Verum dum manus cogit, armaq; in futurum belli
 usum cõquirat, decedit. Succedit Xerxes. Hactenus mihi videor quasi semina
 sparsisse, e quibus radices in pectore Xerxis agentibus, hortificium hoc, o-
 mnique imbutum odio bellum excrevit: videamus reliqua. Igitur Xerxes in
 ipso protinus gubernationibus initio nihil sibi prius, nihil potius habet,
 quam ut patris reliquias persequatur. Itaq; bellum à Dario patre cœptum
 adversus Græciam quinquennium instruit. Jamq; septingenta millia de
 regno armaverat, & trecenta millia de auxiliis, naves quoq; decies cen-
 tum millia numero paraverat. (Quâ quidem in parte jam & Tamerlanes
 ipse manus dat, qui nihil classe valuit.) Nec mora, cum contentissimo cur-
 su, infestissimisq; signis, infinito hoc agmine in spem vel orbis debellandæ
 vocatus, Græciam, regnum famâ, gloriâ, doctrinâ, imperio, bellica laude flo-
 reus, petit. Verum ita à Græcis hominibus in quatuor præliis acceptus est,
 ut, qui paulo ante mare clasibus, terram pedestribus operærat copiam, in-
 stat fugacissimi lepuseculi. Nam leporem quidem in exercitu Xerxi, quem
 adversus Græciam contraxerat, equæ parva edicium constat, eodem mon-
 tem Atheni vicem tantum transgresso. Quo genere monstri hic tanti appa-
 ratus significatus est eventus.) pavidò regressu regnum suum repetere coge-
 retur. Ac de elementis quidem hujus post hominum memoriam appara-
 tissimæ magnificentissimæq; expeditionis, itemq; de ipsâ, generatim ita u-
 niversèq; dictum est. nunc, si placet, accedamus propius, & quod boni picto-
 res solent, ut, postquam levibus lineamentis rem aliquam adumbrarunt,
 postea

Plut: in Ca-
mill: 2 luc: 1. 6.

Cic ep. ad Attō
Just. lib. 2.

Idem ib Hero-
dot. lib. 7.

Val Max.
lib. 2. cap. 6.

lib. 7. d. 7. d. 11
lib. 2.

postea accedant, ridentq; eam & informem in liberalem aliquam speciem
induant, irem nos quasi perpoliende quendam expeditionis supremum labo-
re adhibeamus, ut in constituendo, quid de hac expeditione sentiat, quod se-
qui possit, habeatis. Ego sic intelligo auditores, cum de rebus memora-
bilibus (historias alii appellant, grecâ voce, mihi latina satis est,) cum in-
quam, de rebus memorabilibus agitur, haec duo potissimum spectari oportere.
primum, ut dilucide, & ex fide narrentur; quae pars omnis in rationem
explicationis & veritatis cadit: deinde, ut discrimen vis adhibeatur, &
pro earum varietate haec probentur, illae damnentur; quod alterum iudicii
illam limam in historico requirit. In hac expeditione, auditores, et si u-
trumq; esse arbitror ab aliis observatum, qui de eâ scripserunt, ta-
men utrumq; modo quodam instituto consecrabor. Ita omnis de
expeditione hac sermo bipartitus erit in oratione. Primum enim erit
mihi de ipsâ, sed dupliciter, perspicue & vere: tum pari ratione de ipsi
immediate connexi differendum. Quanquam quid de ipsâ disse-
ram? cum nullum mihi locum reliquerim, sed quicquid in eam sen-
tentiam dici possit, id omne jam ante caco quodam impetu effuderim. de
eventu, de eventu eius ipsius, id verò est, de quo mihi differendum
esse video. Itaq; dum me de expeditione priora loco dicere recepi, lapsus
verbo idipsam intelligi volui. Quod quidem quale sit, facile intelligere
poteritis, si ad quatuor praelia advertere mentes volueritis. Etenim
cum complector annis, quatuor pugnas reperio, quibus hoc genere ipso su-
pervacaneum bellam totum confectum est: primam ad Artemisium, alte-
ram ad Thermopylas, tertiam ad Salaminem, quartam ad Plateas. Ea-
rum, si placeat, pugnarum, quanta quaeq; fuerit, quoq; Marte pugnatâ sit
unaqueq; videamus. Igitur prima ad Artemisium commissa est, nava-
li contentione, atq; ita quidem commissa est, ut non tam iusta pugna,
quam quaedam iustae pugnae praeludium fuisse videatur. Etenim ita illa
fuit parva & levis, ut graeci hominibus, qui eâ, quam Perse, usi erant
secundiora, praeter animum ad classem Xerxis tanto dehinc alacrius atten-
tandum, majoreq; curâ propriam parandum, fere, quod inde reporta-
rent, fuerit nihil. Quae cura, cum non necesse habeam de eâ dicere, (im-
mo vix habeam quidem quicquam, quod quidem in magni ponas,) super-
sedebo in praesentia orationem in eâ occupare meam, sed hanc brevitatem
compensabo curta prolixitate ejus orationis, quae pertinet ad secundam, &
eam quidem terrestrem pugnam. De qua, si quid ordiri longius, auditores,
videbor,

videbor, queso ignoscite: pugnae hujus admirabilitas me leviter & breviter perstringere rem non sinit. Thermopylae mons sunt in immanem longitudinem porrectus, mediam Graciam dirimens. Nomen à scaturiginibus aquarum calidarum, quas Graeci *Ἰεσπυάδες*, & faucibus, quas *ἡ Πύλας* appellant, traxit. Est verò cum aliis locis, tum praecipue eo, quo ex Thesalià patet aditus in Rhocidem, cum aquarum calidarum dives, tum angustius clausus, miro naturae artificio & gratissimū egris medicamentum, & firmissimum sanis munimentum. Quod igitur natura ipsa in manus dabit, Graeci, cum se exercitus Xerxis impares viderent, se verò naturae alibus defendere praesidis statuunt, angustias locorum studiose captantes. Itaque alii quidem alias, rex Spartanorum Leonides cum tribus millibus militum has ipsas occupare. Jamque ad Thermopylas & Xerxes venerat, cognitoque, quòd à tam invalida manu angustiae loci custodirentur, latus verò suos praelium capessere jusserat. Capessunt, ac jussi, primi que omnium *ἡ*, quorum cognati Marathoniam pugnam interfecisti erant. At verò dum boni viri ulcisci suos intemperantius querunt, cadunt & ipsi. Succedit deinde inutilis turba, & major caedes editur, triduoque ita cum dolore & indignatione Persarum pugnatur. Quartà deinde die, cum nunciatum esset Leonide, à viginti millibus hostium jam summum montis cacumen teneri, hic ille socios à se demittit, & ut se ad meliora patriae tempora reservent, hortatur. Manent de tribus millibus non amplius mille viri, trecenti Lacedaemonii, quadringenti Thebani, paucique numero Thespienses. Et jam nox appetebat: cum ecce hanc tātulam manu, quid manus manipulo hoc tam parvo irruptio fit in castra quingentorum millium hominum. Pax primū, mox tumultus totis castris oritur, surgitur, clamatur, ad arma curritur, cum interea mille homuli, instar immanissimorum luporum in gregem desevientium, per tot locis infinitos, immanitate barbaros, multitudine innumerabiles hostes, ferro atque ensibus grassarentur, agerent, ruerent, tunderent, caderent, sternerent, stragemque infinitam ederent, ad postremum, non tam victi, quam vincendo defatigati, inter ingentes stratorum hostium catervas, cum sempiterna nominis memoria occumberent, cum quidem prius in ultionem mortis suae viginti millia hostium ad umbras demississent: simillime, atque anno *Ἰεαυῖ* *Ἰεω* *πένσεως* millesimo quadringentissimo quadragesimo quarto factum est, quo exigua copia Helvetiorum, numero ad tria millia, viginti millia

just. lib. 2.
Herodot. lib. 7.

W. siehe hiebon
Der armen
Jeden Krieg.

Gallorum in exercitu Delphini Gallici, quem Papa Eugenius, sitientissi-
 mus humani sanguinis, cum ingenti agmine Armoracorum in Helvetiam
 immiserat, ut synodum Basiliensem disturbaret, contrucidarunt, ipsis ea-
 dem, quae tot millia peremerant, Martis in occupatis atque absumentibus
 Ac de primis duobus vulneribus, quae Xerxes quarto mense postquam
 copias suas Hellespontum transportarat, pari fere momento primam
 navali, mox & terrestri praelio accepit, quoad referre visum est, dispu-
 tatum est: reliquae sunt etiam duae plaga, quarum altera ad Salaminem,
 altera ad Plataeas inflecta est. De quibus antequam dicere incipio, quae so-
 vobis, ut, quemadmodum me meam dicendi orbitam, quam initio orati-
 onis ingressus sum, usque adhuc servare sivistis, ut a me iam te vitare oblique
 ferri non iniquis animis patiamini. Non exorbitabo longius, sed eam
 tum, quae interjecta inter secundam & tertiam pugnam tempore, qui-
 busdam quasi praeliorum indutiis, gesta sunt, tanquam preteriens brevitudo
 bo, postea continuo in viam redeo. Igitur Xerxes (ut eo, unde digressus est,
 se referat oratio.) commissam in eum modum, quemadmodum supra signi-
 ficatum est, ad Thermopylas pugnam, nudatque iam defensoribus loca, secu-
 re postea angustias ejus cum exercitu suo permeabat, usque superatis, ocio-
 se ferro & facibus tota Graecia volitabat; & quoniam ferro in homines
 grassari non poterat, quod Graeci aditus ejus adventu conjugas liberosque
 cum preciosissimis rebus, omnique mundo muliebre, abditis insulis, relictis
 urbibus, demandantes, ideo igne in aedificia dea ac habitatae, Jamque The-
 bias & Plataeas, & Athenas, aliasque item non paucas nudas a civibus ur-
 bes incenderat, cum quatuor millia militum, expediti autem ad incendia ma-
 num, qui illi illi augustissima magnificentissimisque majarum gentium templis
 plo, illi illi antiquissima, religiosissimaque, Oraculorum aedi ac sedi, infestis
 atque nefarios ignes inferrent, Delphos dimittit, prorsus quasi non cum
 Graeci tantum, sed gigantum more cum Deis bellaret. Frustrata etenim
 manus illa incendiario tota imbribus & fulminibus deleta est, ut in-
 telligeret, quam nulla essent hominum adversus Deos vires. Sed haec obi-
 ter. Nunc, ut institui, proficiscar ad tertiam pugnam, quae ad insulam Sa-
 laminem commissa est, ordine quidem tertiam, sed aestimatione concentri-
 onis merito primam, longaeque reliquarum celebratissimam. In ea enim in-
 spectante ex littore Xerxe, Graecia classis navium non amplius recentia-
 rum septuaginta octo, cum Persica, longe & numero, & copiis, & op-
 pugna-

Iust. lib. 2.

Idem ib.

*Herodot. lib. 5.
Iust. lib. 2.*

puzn
 dore
 labor
 Greo
 rsta
 fuger
 instat
 nis fa
 dilaps
 estim
 bino a
 congre
 quodq
 quam
 vultu
 ne equ
 propte
 restat
 Graecia
 ta. Sui
 ci exar
 ra. Igit
 ser, Ga
 jam mo
 millibu
 clitaro
 si aliter
 Mardoc
 os obse
 rent, in
 antiqua
 Atheni
 eorum
 libertat
 Exotia
 301



puritionum inchoamentis firmiore, totum continuum diem tunc ar-
dore armorum animorumque dimicavit, ut Persæ tandem & animi, &
laboribus, & vero etiam vulneribus fracti, primum quidem vix impetum
Grecorum, mox ne aspectum amplius sustinere potuerint, omnesque mu-
tata velificatione remis ventisque, quæ unda rapiebant, omni festinatione
fugerint. Quæ quidem in trepidatione nihilo remissius, atque etiâ inestius
instantibus Grecis, plurimæ naves captae, plurimæ mersæ, pauci, non mi-
nus seviriæ regis, quam hostis, timentibus. Væsa navigatione domum
dilapsis. Atque etiam magnitudinem acceptæ hoc prælio cladis vel inde
estimare licet, quod ipse Xerxes, calamitate huius stragis tanquam tur-
bina aliquo aut tempestate percussus, paucis post infelicem huius pugne
congressionem diebus, trepidus Abydon, ut inde transmitteret, contendit,
quodque, cum solutum hibernis tempestatibus pontem, quem antea tan-
quam victor maris fecerat, offendisset, ex anguis atque æstuans, sine suo
vultu, sine colore, sine voce, scapha pifsoatoria is, quem paulo ante vix om-
ne aquorū cepiebat, omni ferorum ministerio carens is, cuius exercitus
propter multitudinem terris graves erant, in Persiam trajecit. Quarta
restat pugna, quæ tristi internectione Persarum letum finem bello, auream
Greciæ libertatem attulit, pugna ad Plataeas. De qua quid attinet mul-
ta dicitur est quidem verbo dicere, vitisse in ea Grecos, & reliquias Persi-
æ exercitus occidisse. Age tamen, videamus scribimus, sicut cetera.
igitur quatinus Xerxes metu exanimatus, & quicquid concrepuit *Just. lib. 2.*
sit, Grecos permissos, per summam dedecus & Grecia profugerit, uti
jam modo dictum est, reliquit tamen homo etiam tum cum trecentis
millibus armatorum Mardonium, qui fortunam bello adhuc semel peri-
clitaretur, & hac manu, aut cum gloria suâ Greciam perdomaret, aut,
si aliter eventus ferret, certe sine suâ infamiâ hostibus cederet. Ac
Mardonius quidem mansit, ut iussus. Ne verò studia armorum apud su-
os obsolescerent, si nullam virtutis segetem, & tanquam materiam habe-
rent, interea, dum pugna potestatem facerent Greci, Olynthum, ut bene
antiqua, & omnibus rebus auctam atque ornata, oppugnat, expugnat atque
Athenienses in spem pacis amicitiamque Xerxi sollicitat, spondens incesse
eorum urbis etiam in majus restitutionem. Postea verò quam nullo precio
libertatem videt his venalem, incensis quæ edificare ceperant, copias in
Eretria transfert. Quò & exercitus Grecorum, qui centum millia fuit, se-

curus est, ibiq; prelium commissum. At vero fortuna regis eam ante mu-
rata non est. Nam ingenti prelio victus Mardonius, velut ex naufragio
cum paucis profugit, insequentibusq; intolerantius Græcis, a quodā La-
cedæmonio lapidis jactu interemptus est, dignus, qui, uti alpha hujus belli
fuerat. (Erat n. Mardonius u, qui dissuadente Xerxi hoc bellū in abano,
patruo ejus, currente, quomodo dicitur, incit arat, seq; ipsi autorem ad id
tradiderat: ita etiam omega esset. Sed hæc quidem hæcæntis. Intelligen-
dum autē est, non ut cantilenis, quibus novitas, ut ait Telemachus, cō-
ciliat gratiam, sic & historiū ut edū, sed ad oblectationem ex his pauca,
ad utilitatem longe plura referenda esse. Quamobrem voluptate, cui
adhuc nuda expeditionis descriptione aperta professione velispati su-
mus, missa facta, deinceps, quæ inde documenta, quibus sapientiores,
monita, quibus prudentiores reddamur, deducere, quæsiq; derivare debeat
mus (quæ pars altera facta est instituta orationis atq; sermonis,) dice-
mus. Vos quæsumus, ut adhuc nos attentè audistis, hæc, quæ reliqua
sunt, audiatis. Primum igitur illud est, quod inde discere jubemur, ut nos
modeste rerum nostrarum finibus contineamus, ne fiduciā viriū elati res
nō necessarias moveamus, cogitantes, Deū, quātūvis magnā potentiā,
quāvis subito, vertere posse, prout hoc crudelissimo periculosissimoq;
bello, decursu biennii, innumerabiles copias, fundatissimūq; exerci-
tū nimum sibi sumentis Xerxis, nullam aliam ob causam, quā pro-
pter ducis sibi presidentis temeritatem, nō maxima manu Græcorum fu-
derit, conciderit, perdiderit. Jam & aliud inde monitum, quo pacto nos
duris Reip: temporibus gerere, quomodoq; concordiam inter nos propter
communem salutem, faciem ad id præferentibus Græcis, tueri debeamus:
qui, cum intestinis laboraret dissidiis, ut primam a Demarato rege La-
cedæmoniorū, qui tū apud Xerxē exulabat, de bello Græciæ a Xerxe infe-
rēde edocti sunt, mox omnes domesticas cōtentiones patriæ cōdonarunt,
omnīq; cura, cogitatione, virtute, auctoritate, ad eam cōservandā incubu-
erūt. Quæ quidē in parte Atheniensū insigne cōprimis studiū fuit. Illi n-
cū danti nullo nō tempore inimicissime infestissimeq; cō Lacedæmonius
de principatu cōtendisset, in hoc bello eis statim initio summi imperii libe-
ribus animis cesserūt, ac, cū Arcades in pugna ad Platæas principē ante
ipsos in acie locum tenere vellent, cum alijs pugnacissime cum illis de glo-
ria dignitatis dimicassent, hic, quasi sui oblitī, jã & Arcadibus, longe se
inferioribus, cōmodo Reip: postponi sustinuerunt, dicentes, se non motu-

8. lib. 1. 1. 1.

8. lib. 1. 1. 1.

8. lib. 1. 1. 1.

8. lib. 1. 1. 1.

8. lib. 1. 1. 1.

8. lib. 1. 1. 1.

Just. lib. 2.

Herodot. lib. 9.



nos seditione loci causa, sed ubicunq; collocentur, se ibi viros fore. Et sane ita fecerunt, vel plus etiam, quam dixerunt. Non enim se viros solum prestiterunt, sed bonos, sed libertati studiosissimos. Itaque ergo, cum post pugnam in Thermopylis Mardonius infesto agmine nobilissimas quasque Græcia civitates confectaretur, eorumq; aliquot compromissi hominis iudicæ, iam fidem atque amicitiam Xerxi sequerentur. Athenienses adduci nullo modo potuerunt, ut ad conditiones eius pactionesq; accederent. Quin ea fuerunt animi presentia, ut civem quendam quem Herodotus Lycidam, Demosthenes Cyrsilum nominat, eo quod suator fuisset accipiendarum conditionum, faciundaq; deditiois, lapidibus cooperuerint, viri virum, postea & in conjugem ejus severissimis saxorum irruptionibus vindicaverint, mulieres in mulierem gloriosissimo hoc facinore docentes, (id quod caput est doctrinae tertie,) ita viri corpusq; servandum, ita fortunas, ita rem familiarem, ut hæc posteriora libertate ducamus, atq; his uti velimus, si liberare Rempublicam possumus, nec pro his libertatem, sed pro libertate hæc projiciamus, tanquam pignora injuriæ, ut canit Siren illa, Arpinas Cicero. Laudatur pietas in patriam, quod sit natura convenientis: quidni laudetur? Illa siquidem est, quæ nos excepit, fovit, aluit, cõmuni gentium sensu sanctissima & antiquissima parens. Laudantur mortes pro patria appetitæ: quidni laudentur? Fortunatæ siquidem mortes, quæ naturæ debitæ, pro patria sunt potissimum redditæ. Atqui, si recte contra oculos intueri hoc ipsum bellum velimus, utrumq; hic non tam verbis subtiliter differi, quam re & opere comprobari videbimus. Quid enim, queso, omnis excita sedibus suis Græcia, totam Asian armatam effervescentem in se, atq; erumpentem repellens, & cervicibus interclusam suis sustinens, sibi propositum habeat aliud, quo tendebat? quid spectabat? nisi ut periret ante patriam. & jam illam illam auxilium poscenti, dexteram, quomodo ajunt, porrigeret, eamq; ab omni injuriâ tutam præstaret. Quid recentis Lacedæmonii, quadringenti Thebani, partim numero Thespienses, quid tandem ad Thermopylas sibi querebant? quid volebant? Quid ille districtus isorum in angustiis gladius agebat? Quis sensus erat irruptionis? quæ mens? quid cupiebant? quid optabant? nisi ut suis lateribus & corporum suorum operibus hostem a litu Græcia intercluderent, ita pietati, quam patriæ debe-

Idem lib. 8.

Lib. 9.

in Orat: *de*
de

Phil. 13.

Lips. 1. de Cõst.

Cic. Phil. 14.

B. 3. debe-



Just. lib. 2.

Lib. lib. 22. Cic.
pro Marc. Plat.
6. § 9. de Leg.
Tac. 1. hist. A-
pul. 9. Act. am.

Lib. 9.

Lips. in Not. ad
cap. 4. 1. Polit.

deberent, id, quod deberent, cumulatè dissolverent. Quod si in Leoni-
nida, rege Spartanorum, longè adhuc illustrius est. Ille enim, cum initio
hujus belli, scit antibus Delphi oracula Spartanis, responsum esset, aut
regi ipsorum, aut urbi cadendum esse, hoc oraculi vaticinio certior factus,
aut sui, aut urbi natali factus, prius acerbi sumà morte milles mari ma-
luit, quam patrie interitu vitam tuere suam. At qui vir nempe hominu-
lus ex argilla & luto factus Ethnicus, & Christianus abiqui dubitet pro
eà mortem oppetere, si ei sit profuturus? Sed hæc, cum ad pietatem in pa-
triam cohortamur, accuratius solent disputari, hoc autem loco tantum
breviter doctrina signanda fuit, quam ipse contextus historia secum fer-
re videbatur. Nos vero pergamus, & periclitemur, æquam præter
hanc adhuc aliam alius generis eruere inde valeamus. Eruiere autem
quid, si sua sponte se ingerit? Atque en ab ipsa hujus belli curia brevitas
rate utiliter subministratam. Hæc enim quodammodo nobis tacita
festinationem nescio quam, ceterè cunctatione, inter accipitiam media se-
quenti, tutiorem, commendat, quæ exemplo Grecorum, cum per se præ-
claro, tum exposito ad imitandum, expavescit jam, & dubium con-
siliu hostem urgere, nec ei spacium sese recolligendi relinquere debeamus,
ex ratione, quod in ejusmodi casu festinatio, quæ aliis improvida, &
caeca, inimica consilii, judiciorum noverca & labes audit, pru-
dentia speciem induat, nec verò cunctatione opus, ubi pernicio-
sior quies, quam celeritas, sit. Rectè etiam hic differi potest, ut
neque consilio prudenti, neque remedio sagaci, divina pro-
videntiæ fatalis dispositio subverti possit. Narrat enim Hero-
dotus, Mardoniam Thebis in convivio quodam non multo ante pugnam
ad Plateas, cum nonnulli mirarentur, de tanto agmine Persarum tam
exiguum numerum reliquum factum esse, in hanc sententiam dixisse.
Quod Deus decrevit, non potest ab hominibus mutari, neque
probabilia suadentibus homines obtemperant. Hoc quidem
sanè luculenter, ut ab homine perito fati. Sed quid ais tandem Mar-
doni? (te enim appello:) nonne tu ipse is, qui probabilia suadenti Artaba-
bano, Arbabano, inquam, cogitationes pacis super Grecia cogitanti
non obtemperasti? Verum sic est scilicet, ut quidam superiorum memori-
æ magni in Rep: literaria nominis vir crebri usurpare sermonibus solebat:
Quo factum vergit, eo alia omnia, & velut viam illi muniunt
igne-

ignari & inviti. Ita hic. Equidem quasi terram, auditores videre
aliquandoq; in portum ex longa navigatione ventre nitentum vellem, sed
id mihi contingere, uti video, adhuc dum non potest. Etenim quo
longius in alium hoc doctrinarum, quas nobis hac historia sufficit, in-
vehor, eo mihi amplior & patientior orationis cursus ostenditur. Jam
enim & illud animadverto, nobis hic varia præcellentissimorum viro-
rum exempla exhiberi, qui post reportatam de Xerxe victoriam suc-
cessibus exultantes, rebusq; secundis effrenati, aut insolentiores, aut
negligentiores facti sunt, tragicosq; tandem exitus habuerunt. Quo-
rum quoniam in hoc genere complura sunt, nos modicam aliquam & fi-
nem orationi nostræ, antea verboriosi fortasse, quam velletis, facien-
tes, idæo ex eo genere sumemus. Pausanias Spartanus, ejus auctori-
tate pugna ad Plataeas commissa est, ea fuit moderatione in victoria, ut,
cum ipsum nonnulli adhortarentur, ut capita ducum Persicorum, il-
la pugna caesorum, exemplo Persarum, qui caput Leonida cruci suf-
fixissent, similiter contumelia afficeret, responderit, se mortuis non in-
sultracurum, satisque sibi esse, si iusta faciens & dicens Spar-
tanis suis placeret. Fecit idem & alia cum summâ modestia lau-
de & cunctis. Captivam nobilem, ne vim pateretur, fidelissimis su-
is commendatam, domum remisit. Sed idem Pausanias, qui antea
tam multa egregie fecerat, ad extremum verit omnia. Nam cum
postea Græci Byzantium ipso duce occupavissent, tanta fortune indul-
gentiæ non amplius capax, inimemor sui insulescere atque ferocire
cepit, cumq; prius acerrimus patriæ defensor fuisset, aliquanto post
perditus suus omnem proditor factus est. Namque enim & primarii ce-
ris Byzantii filiam vi rapuit, eamq; nocte in subita consternatione in-
terfecit, & nefarias foederum pactiones societatesq; cum Persis con-
stituit, filiam Xerxis cum regno Græciæ præmiam proditionis pactus. At
quam nullo Reip: magno suo exitio! Etenim re tandem comperta,
Ephoriæ penam patriæ sanguine proditori persequentibus, nequicquam
proditori suiæ asylum querens, in templo Minervæ, in quod se abde-
derat, inclusus, obstructis, ne aliqua evolare posset, foribus, fame
moriens, iustas patriæ penas persolvit, oblivione humanæ fra-
gilitatis mutatus, documentum posteris, homines,
cunctis peccatis fortunæ, etiam naturam dedisce-



re. Themistocles Atheniensis, cuius remigio pugna navalis ad Salaminem, Marte & Neptuno propitius, pugnata est, adeo excellit sapientia, ut Grecia ipsius potissimum laboribus & consiliis ex flamma atque ferro, ac pene ex faucibus facti erepta sit. Quare etiam a Thucydide *Lib. 1.* hiis verbis, non magnificentius, quam verius, laudatur. Erat inquit, Themistocles precipue dignus admiratione praeter alios, quia acie mentis suae non praemonitus, nec meditatius, in rebus subitis optima consilia dabat, & de futuris, quid eventurum esset, proximè coniciebat. Quae in praesentia in manibus habebat, explicare poterat: quae non norat, non desistebat subtilis ingenii indagine investigare. In obscuris negociis, quid in rem esset, quid a re, omnium exactissime prospiciebat. Ut rem in pauca conferam: naturae viribus, & quadam ingenii dexteritate, optimè id eligebat, quod maximè profuturum erat. *Thuc. lib. 2.* Hactenus Thucydides. Tantà cum fuerit sapientia Themistocles, & cum divinitus de tota Graecia meritis sit, tamen tota Graecia expulsus est. Ac primum ei iniusta odia Lacedaemoniorum nocuerunt. Postea & apud cives invidia accersit, inde nata, quod paulo sublatius de se sentire. & extra modum sumtu ac magnificentia prodire videbatur. Pulsus autem restit ad Admerum, & regem Molossorum, atque inde non longè post in Persas magni itineribus contendit, longiusq., quam sapientis hominis cogitata ratio postulabat, iracundia progressus, se eis ducem adversus Graecos obtulit. *Vol. Max. lib.* At vero cum ei rex exercitum & pecuniam, ut Graecia bellum inferret, decrevisset, desperatione rei tanta, ac precipue metu Cimonis, expeditionem distulit, eademq. sibi manu, qua mortem saepe hostibus obtulerat, vitam exhausit, cum quidem etate processisset ad annos quinque & sexaginta. Hic funestissimus exitus mansit Themistoclem, virum, Dii boni, qua gravitate! qua eloquentia! qua dignitate! quo ingenio! quantà vi! quantà peritià rei militaris! Atqui cum in his tantis, cum naturae, tum etiam fortunae dotibus condecoratus, nihilominus tamen se inconsiderati sine infidis hostibus adjunxerit, & longè majora viribus suis promittens, stultè in tantum se periculum adduxerit, ut mor-

ret

rem sibi consciscere mallet, quam tristius quidpiam expectare, eo ipso nobis exemplum sit, quam infelix sit sapientia, cum a seipsa deseritur, ut non inscite, neque ineleganter, qui ipse sibi sapiens prodesse nequeat, nequicquam sapere, trita vetustate sententia dicatur. Possem quidem bono periculo vel his dictis contentus perorare, auditores: quoniam tamen facta mentio est tragicorum casuum, qui confecto bello Xerxis nonnullos cum victoria commutatos duces exerceperunt, ne illud quidem pretermitteram, quo genere fati ipse dux ducum Xerxes perierit! Tgitur Xerxes (ut hoc mantisse loco adjiciam,) perorantem gentium, cum bello in Græciâ infeliciter gesto damnum reversus, nihil eâ calamitate fractior, acium persecutus esset, seseq; indignis rege voluptatibus deditisset, fratris inde uxorem & filiam amasset, offensioneq; ex Zelotypiâ natâ fratrem immisericorditer trucidasset, deficiente quotidie ipsius majestate, & verò etiam incestas hominis libidines ac crudelitatem Adrastia Nemese sequente, tandem ab Artabano, prefecto suo, in regiâ interfectus est, cum quidem imperium gessisset annis octo.

Cic. in ep. ex
Ennia Med.

Herodot. lib. 9.

Just. lib. 3.

Habui hæc de expeditione Xerxis qua dicerem, auditores. Jam intelligitis, quod, quam atrox, quam funestum, quam in omni memoriâ inauditum bellum, quâ de causâ, quibus copiis, quo spiritu, homo impotentissimus Græciæ intulerit: intelligitis, quâ id fortunâ, quâ temporis circumscriptione, quo eventu gestum sit: intelligitis, quibus saluberrimorum documentorum accessionibus id nos auxerit, atq; augeat. Nunc totâ expeditione peroratâ, res ipsa, & periculorum, quibus objecta a primis incunabilis Ecclesiæ, magnitudo requirere videtur, ut, antequam dicendi finem faciam, vos obsecrem obtesterq;, quò, uti alias alia, ita hoc tempore Xerxem quam maxime intentis oculis acerrime contemplerini. Quid enim ille? Terror antea gentium, nunc triste ludentis fortune spectaculum. En vivam vobis hostium Ecclesiæ imaginem! quorum spiritus quin pari fortune, rectius dixerim, divine providentiæ vi sint dejecti, nemo, opinor, vestram dubitabit. Quod ut fiat,

*Et brevi suprema illa ac censoria aeterni Judicis dies orbi illarescat,
summa votorum meorum est, credo equidem Et ve-
strorum.*

D I X I.



© brevis suprema illa ac censoria auctoritas in rebus
sanctae potestatis in totum et in parte
firmata

D I X I



Nh 122




ULB Halle 3
002 714 272


A standard 1D barcode is located below the text on the label.

st

1077







ORATIO
HISTORICO-DI-

DASCALICA
DE
EXPEDITIONE XERXIS

IN GRÆCOS,

In

Illustri Soraborum Gymnasio

Permissu Gymnasiarchæ

publicè recitata

ab

HENRICO PIETIPESKY

de Chiss & Egkerberk, Equi-

te Bohemo,

d. 4. Junii,

ANNO

pseVDoDoXIs LoloLItIs oDioso, pIIs prosperlorl.

L. Apul: 1. Florid:

Nihil quicquam omnium est, quod possit in primordio
sui perfici, sed in omnibus fermè antè est spei
rudimentum, quam rei experimentum.

SERVESTÆ

Impressa per Zachariam Dörfferum.

M. DC. XXIV.